

nitione causa adjungitur eam conferre ad alterius entis existentiam ; nam ut jam diximus , Pater æternus est persona distincta a Filio , sed non est alterius naturæ ; est quidem *alius* a Filio , non *aliud* , ut loquuntur , *substantia*. Hæc pauca monuisse satis sit ; quæ quidem fusius explicare ad Theologiam pertinet .

II. Causa a philosophis omnibus ita distingui solet ut alia quidem *efficiens* , alia *materialis* , alia *formalis* , alia denique *finalis* dicatur . Ens illud , quod virtute sua effectum producit illumque transfert a potentia ad actum , *efficiens* causa vocatur . Quia vero nulla creata vi ens ullum ex nihilo produci potest , *efficiens* causa operari , suumque effectum producere non poterit , nisi subjectum aliquod sive materia reperiatur ex qua affectus ille formatur ; id eoque præter efficientem , *materialis* quoque causa sive materia requiritur . Præterea cum materia sit natura sua prorsus indifferens ut hic potius , quam effectus alter ex ipsa producatur , præter materiam ipsam formalis insuper causa adjungi debet , quæ materiam determinet ut certus aliquis distinctusque effectus oriatur . Insuper cum res omnes non temere & inconsulto , sed finis alicujus gratia producere fuerint , & effectus omnis ad finem aliquem dirigatur , qui vel a natura constitutus sit ; aut ab efficiente causa , si libertate , & cognitione praedita fuerit , eligatur , finis ipse , vel finalis etiam causa agnosci debet . Tandem quintum aliud cause genus admitti potest , quod causam *exemplum* appellant , & ea di-